

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

DE
CAVSA
LVIS VENEREÆ
PROXIMA,

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,
SVB PRAESIDIO

DN. D. HERM. PAVLI JVCHII,

SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. H. T. DECANI AC SENIORIS,
ET PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARIJ,
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARIJ
AVLICI ET ARCHIATRI, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.

COLLEGAE,
PATRONI ET PROMOTORIS SVI
COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, PRIVILEGIA
ET IMMVNITATES

LEGITIME ADIPISCENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT
AVTOR ET RESPONDENS

MICHAEL WEBERVS,
PEGAVIA - MISNICVS.

HORIS CONSVETIS IN AVDITORIO MAJORI
COLLEGII MAJORIS
DIE XXX. JVLII, MDCC XLIII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.



DISPENSATIO IN VARIIS MORBIS

CAUSA
LVIS VENEREAE

AVCTORITATE BELGICAE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

DN. D. HERM. LAVEL JACCHI

PRO LICENTIA

SYNOPSIS IN ARTE MEDICINAE

ET PRACTICAE

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO

AVCTORE D. MICHAELI WEBBERO



PROOEMIUM.



Ub decantatis *occulis qualitatibus* ignorantiam quorundam ex antiquioribus, tanquam patulæ sub tegmine fagi, recubasse non incongrue dictum censeo, siquidem ipsi tam in medicis, quam physicis, ut rebus profundioris indaginis, ad illas, quasi ad sacram anchoram, confugientes, sæpe hoc tandem conclusum formabant: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* At enim vero, majoribus nostris in tantum id condonandum, in quantum quoad artem nostram maximâ tenebrarum caligine adhuc obvoluti & præfidiis necessariis destituti erant, dummodo Neotericorum quidam illorum vestigiis similiter non insisterent. Ex quo haud mirum est, si culpa profecto sua consortio Circulatorum, Empiricorum & Idio-

tarum quorumcunque audaculorum adscri-
bantur, qui licentiam sibi sumunt, in sanita-
tem & vitam aliorum sæviendi sub auxilii præ-
textu, nulla habitâ & morbi & causarum
ratione. Equidem meum non est, in hisce
pagellis horum errores & ignorantiam con-
vincibilem sub censuram revocare, quippe
tantus dicendi campus tunc pateret, ut ci-
tius annus, dies & hora, quin imo paginæ de-
ficerent. Sepositis ergo hac vice cunctis, uni-
ce nunc placet morbi illius contagiosi & ho-
dientum per totam Europam cogniti, *Luis*
nempe *Veneræ*, rationes & causas genuinas
accuratori mentis trutina perpendere, inpri-
mis cum ad normam aliorum hic morbus,
commissis causarum fallaciis, tacite quasi ali-
quando occultis qualitatibus adjudicetur. Quo
autem hæc omnia clarius exponantur, quovis
modo allaborabimus, summum Numen im-
plorantes, ut ex altis adspiret conatibus nostris.
Faxit igitur Deus, ut hæc, quæ ingenii vires
exhibent, in sui divini Nominis gloriam pro-
ximique salutem cedant feliciter!

§. I.
SI nuclei particeps fieri quis exoptat, ipse prius putamina frangere non detrectabit. Eam ob causam etiam nobis incumberet, ut, prælibatis *Luis venerea* variis denominationibus, demum ad altiora nos accingeremus. Verum enim vero quoniam hoc ipsum ad tedium usque ab aliis jam factum est, ne cramben recoquere videamur, ea, quæ originem & nomina spectant, sicco pede, ut ajunt, transibimus.

§. II.
 Sufficiet ergo hoc saltem monuisse, quod in Medicorum scholis hoc morbi genus sat execrandum titulo *Luis venerea* insigniatur, ne in hujus vel illius Nationis opprobrium declinaret, & ut litem inter has, quam nimirum præ altera hoc contagium maxime detestabile per universam Europam disseminaverit, diu exagitata, dirimerent. Hispani enim ex Indiis reversi, ad patrios lares & Neapolim usque illud deportasse creduntur. Hanc enim urbem eo tempore Carolus VIII. Gallorum Rex arctiore obsidione clausam tenebat, castra autem movere cogebatur, omni ejus exercitu à transfugis, vel potius mercede conductis & contaminatis prostribulis infecto; qua occasione hæc pestifera lues dein in Galliam devoluta perhibetur.

§. III.
 Missis autem hisce, cum ad ipsam rem nil faciant, nomen *Luis venerea* à nobis retinebitur, reliqua Historiæ perscrutatoribus committentes, qui eo usque sua ingenia litigiis exercent, quousque veritas resultet. Itaque per hanc Luem intelligimus *morbum contagiosum, à corruptione humorum lymphatico-salivatum, per seminium verminosum quocunque modo in corpus humanum delatum, inducta, originem trabens.*

§. IV.
 Luem hanc diximus contagiosam eam ob causam, quoniam levissima data occasione, & sæpissime citra sensibilem fere ullius causæ interventum, in aliud corpus cæteroquin sanum propagari potest, eadem ratione, ac Lepra, Scabies

aliquæ similes affectus. Sic notissimum est, vestimenta, lectum & lintheamina Lue venereâ correptorum tuto haud posse usurpari, multo minus licere familiariter cum talibus subjectis conversari, nedum congressum venereum instituire, ne vitium cum lintheaminibus, aut aliis rebus sudore infectis, se se in poros partium insinuando massam sanguineam inficiat, & vi multiplicativa simile miasma producat ac per totam œconomiam animale[m] diffundat.

§. V.

Hæc animatorum miasmatum seminia, intra viscera concepta, sunt perquam mutabilia & tam varios atque tragicos in corpore humano exserunt effectus, ut infecti adhuc viventes vermium esca & fœcundum seminarium fiant, & inter hos precariam animam ducant. Horum exempla, quæ in Praxi observare mihi licuit, quam plurima in medium proferri possent, nisi superflua illa forent.

§. VI.

Equidem deprehendimus in Pathologorum scriptis varias fermentationes, putrefactiones, miasmata venenata, aut peculiarem quandam malignitatem, ex humoris melancholici corruptione ortam, quales causas exinde supposuerunt, quoniam morbum huncce ex uno corpore in aliud transferri observarunt per solum contactum, & quidem satis cito, intra breve communiter temporis spatium; minime tamen idcirco effectum huncce solis hinc causis adscribendum esse censeo, cum ad eundem producendum non semper sufficiant.

§. VII.

Fingas enim miasmata, quæcunque placent, sive illa accedant ad naturam arsenicalem, vel mercurialem, vel peculiarem etiam foveant malignitatem, tunc quoad priora, in primis exempla metallifosforum statim contrarium monstrabunt, utpote quibus, dum dies noctesque circa mineras eruendas & excoquendas versantur, nefandus hic morbus omnino endemius foret, & idcirco commercium eorundem plenarie vitari deberet; cum tamen credendum potius

tius sit, quod ejusmodi effluvia per inspirationem hausta, infestas vermium turmas è corporibus talium hominum potius eliminant, & versipellem horum contubernalium genium evertant, quam feralium symptomatum autores ibidem existant: Adde, quod vix ac ne vix quidem se se exerat casus infectionis in iis, qui continuo circa metallifodinas vitam consumere solent.

§. VIII.

Qui sal scorbutico-acidum accusant, (sub quo velamine forsan olim peculiaris illa humoris melancholici malignitas incedebat,) his ambabus largimur manibus, omnem acrimoniam vel dyscrasiam sanguinis prorsus excludendam non esse, quoniam sine Cerere & Baccho friget Venus. Rebus autem venereis deditos gulæ mirum in modum indulgere, aut libidini fræna relaxare, notissimum est. Nihilominus maxima intuitu symptomatum & vehementiæ intercedit differentia, inter dolores scorbuticos & venereos. Interim unicum hoc adduxisse sufficiat, acredinem hanc scorbuticam vi corrosiva debere aquam fortem & regiam aut exsuperare, aut ad minimum adæquare, si illam admittere velimus, sub quibus tamen circumstantiis præsentaneo vitæ discrimini exponeretur infectus, & vix ad momenta quædam sæpius in solatium sui ipsius spiritum trahere posset miserrimum, quod tamen ipsa clinica praxis nequaquam confirmat.

§. IX.

Ne vero diutius Lectorem benevolam detineam, clarius nunc mentem meam exponam, statuens nimirum, morbum, quem loco speciminis examinandum suscepi, à vermicibus sui generis produci, quales in Scabie Hispanica instar limacumprehendit HAVPTMANNVS, referente KIRCHERO *Mund. subt. Lib. 12. Sect. 1. C. 10.* & tantæ fœcunditatis, ut intra dimidium horæ, quod fidem ferme superat, quinquaginta alios sibi similes partu effuderint. Nec difficile videtur explicatu, quomodo parva magnorum morborum initia late

late serpere & in aliquot annorum spatia protrahi queant, multiplicata in dies causa morbi continente.

§. X.

Tantum autem abest, ut idcirco omnes morbos ab animalculis unice & perpetuo derivare velim, sicuti KIRCHERVS *c. l.* alique id tentarunt, multominus famigeratissimo Batavorum Anatomico LEEUWENHOECKIO *Anat. p. 149. & seq.* pollicem premere lubet, quando mediante oculo armato observare voluit, quod semen etiam vermibus repletum sit, & ex his embryones in utero maternò formari asserit; sed saltem id iudico: Vermes frequentissime in corpore nostro tragicam ludere scenam, & tanquam causam morbificam inter reliquas haud extremo loco ponendam esse, id quod complures observationes, si universam morborum catervam perlustrare velimus, auctoritate suffulcæ, satis superque evincunt.

§. XI.

Instas autem porro: Quodnam vermium genus in hoc morbo prædominetur, aut per quasnam vias illud in corpus nostrum deferatur? Ad hoc respondeo: Non uno sub schemate illos comparere, sed varias potius figuras affectare, quin imò tam obscura frequenter esse generationis primordia, ut seminia eorum exilissima, atomos vix exsuperantia, omnem tam visum, quam ingenii aciem eludant, cum in animalculis jamjam adultis eorumque membris dignoscendis oculi etiam exquisitis microscopiis muniti deficiant. Quoniam vero non cuivis, nec omni tempore Corinthum adire licet, hinc id, quod circa hanc materiam experiri mihi obtigit, non possum non, quin proba mente subnectam. Facta nimirum nodorum, tophorum, talparum, bubonum aliorumque apostematum, in subjectis vivis & demortuis, incisione, vermiculi instar accarorum, ascaridum, aut eorum, qui caseo recenti nidulantur, minores majoresve, capitulis modo rubieundis, modo lividis, modo nigricantibus præditi, in conspectum prodierunt, & quidem pauciores, vel copiosiores, pro diversitate apostematum. Sic quoque in Gonorrhææ & Fluoris albi virulenti curatione mul-

multoties vermiculos, ad filorum sericeorum crassitiem accedentes, atque hinc & inde se flectentes, una cum materiâ purulenta eliminatos fuisse observavi.

§. XII.

Facilius ergo nunc concipi poterit, quomodo talis progenies verminosa in corpus nostrum penetrare queat? Cum enim, secundum ARISTOTELEM, animantium plena sint omnia & in aëre circumvolitent innumera vermium seminia, à vento elevata atque ita per omnes plagas dispersa, nil implicat, quo minus inspirata ovula, vel salivæ admisceantur, (ex quo etiam phænomeni illius ratio & enucleatio deprecanda erit, quomodo per osculi impressionem & salivæ communicationem contagium venereum ab uno subjecto in alterum propagari possit,) vel tracheam & pulmonum cellulas subeant, & cum sanguine breviori via se se commisceant. Hujus asserti veritatem corroborat KIRCHERVS *Tr. de Peste Sect. I. C. 7.* exponendo aquam puram, in vase aperto contentam, aëri liberiori, ubi post aliquot dierum intervallum varii generis in eâ deprehendit insecta, vase clauso non æque notanda. Tali seminio imprægnatus aër non modo nivem, observante RAYGERO *Ephem. Germ. Dec. I. Ao. IV. obs. 89.* sed & rorem, unde ærugo, itemque pluviam corrumpit, vid. *Relation de la Nigritie p. 89.* ubi describitur pluvia quædam in Africa frequentior, quæ cutim arrodit, & in vestimenta decidens tineas vermesque producit.

§. XIII.

Ex hætenus recensitis nunc judico, quod admodum facilem occasionem, tam ad eruendas endemiorum & epidemiorum causas, eorum puta, qui vulgo aëri adscribuntur, præbeat verminosa ejusmodi sololes immediate inspirata, quam etiam ad explanandam rationem inserviat, cur morbus noster populis meridionalibus, aut in aliis calidioribus climatibus degentibus, magis familiaris & frequens sit, quam illis, qui sub Zona frigida vivunt, siquidem illic radiorum solarium ingenti fervore ovula insectorum citius & majori in copia excluduntur, venenumque iisdem proprium magis exal-

B

exal-

exaltatur & subtilius redditur, exemplo Tarantularum & Scorpionum, in Apulia & Calabria occurrentium, unde etiam omnino in his regionibus majore vi nocendi, quam in frigidioribus, illa pollere debent.

§. XIV.

De aquâ pluviarum niviumque supra ex KIRCHERI l. c. fecimus mentionem. Circa fontanam, cujus usus nobis quotidianus est, alii experimenta faciant, an etiam in hac vermiculos bicaudatos candidos deprehendere valeant. Nobis adduxisse in præsentiarum sufficit, forsân hanc rationem subesse, cur Auctores nonnulli tantopere disfavdeant aquæ usum, pro eluendis oculorum sordibus, ob metuendum nempe vermiculorum contagium & ophthalmiam inde facile oriundam; vid. MVYS in *Prax. Chir. Dec. 1. obs. 2.* & PECHLINVS *Lib. 2. obs. 35.* Pejoris adhuc conditionis est aqua in cisternis aservata, quæ simul per longam moram vitium contraxit; pessima autem inter omnes est aqua stagnans paludum atque fossarum, propter copiam nempe animalium plus minus venenatorum ibi perpetuam. Exin communiter Hungaria male audit, quoniam peregrinantes ad sitim extinguendam, ex defectu aquæ puræ, ad similes stagnantes sæpius confugere coguntur. Marinam denique aquam copiosissimis vermibus refertam esse, præsertim in itinere extremos ad Indos directo, itemque sub æquatore, & hinc variis gravissimis morbis usum ejus, dira ex necessitate admissum, ansam præbere, Scriptores itinerariorum fati superque innuunt.

§. XV.

Quoad cibum potumque non opus erit, ut plura pro hac sententia stabilienda adferam: Cerevisiam enim per noctem aservatam vermibus sat copiosis repletam se deprehendisse refert PAVLLINI in *Cynogr. Sect. 4. C. 3. p. 169.* Sic quoque panis squalidus non raro verminat, testantibus *Ephemer. Germ. Dec. 11. Ao. X. obs. 171.* Carnes omnis generis, ferinas præcipue, frequentius tentari vermibus, in vulgus notum est, ita ut nec sale, nec fumo præservari sufficienter

cienter possint, exemplo Lardi apud BORELLVM, *Obs. microscop.* 14. Sal inter condimenta usitatissimum, ipsumque Saccharum, suos sœvent vermiculos, vid. *Transact. Angl. Mens. Mart. Ao. 1662. & Act. Hafn. Vol. 1. obs. 54.* Piper acerrimum, Caryophylli, Nûces myristicæ, aliaque suos patiuntur mânes, juxta *Act. Hafniens. Vol. 2. obs. 3. & Ephemerid. Germ. An. X. obs. 105.* De aceto, teste LEEUWENHOEKIO in *Arc. Nat. plantis, oleribusque*, quæ nobis in alimenta cedunt, nil dicam, dum hæc omnia peculiare sibi vermiculos alunt.

§. XVI.

Ne autem hæc omnia incassum pronunciata quis existimet, notari adhuc velim, singula hæc eum in finem adducta esse, ut non solum constet, qua ratione verminosum hoc seminium in corpus nostrum deveniat, verum etiam qua ratione unum subiectum præ altero facilius vel difficilius hac Lue inficiatur. Etenim si corpus ex prædispositione quadam hoc seminio verminoso abundet, & scintillula sub cineribus gliscat, non potest non, quin osculo, poculo, cyathis & lectisterniis contaminatis, aut impuro congressu, quam facillime virus tale contrahat, & sic intra brevissimum temporis spatium flamma contagiosa totum ædificium destruat.

§. XVII.

Luculentius adhuc id patebit, si considerabimus symptomata Luem veneream comitantia, inter quæ primas obtinet Cephalæa. Per hanc intelligimus peculiare quoddam genus doloris rodentis & terebrantis, qui nocte ingruente adeo ingravescit, ut ante eruptionem pustularum infectos sæpissime excruciet, hocque in passu cum reliquis exanthematibus, morbillis, petechiis & illis variolis, quas BORELLVS *vermiculosas* appellavit, coincidat. Tales enim vermiculi delitescentes, paulo vehementius pungendo nervosas propagines duramque meningem, acerbissimos concitant dolores. Talem Cephalæam pertinacissimam, à vermicibus rubicundis & pilosis abortam, describit PAVLLINI

Ephem. Germ. Dec. II. Ao. V. obs. 101. § in Cynogr. sect. 4. C. 8.
 Nec etiam silentio præterire possum, me olim inter curiosâ, quæ apud Lipsienses ab Illustri b. m. SCHACHERO asser-
 vabantur, vidisse ejusmodi infecti calvariam, quæ tota to-
 ta foraminulis pertusa & à vermiculis exesa apparebat.

§. XVIII.

Cephalalgiam perennem excipiunt dolores artuum & humeri lancinantes, qui cadente sole ordinarie exasperantur, cujus symptomatis ratio ab initio non facile indagari poterat. Vulgari & potius morali sententiæ inhærere non vacat, secundum tritum: Per quod quis peccat, &c. Hinc potius, præter modo recensita non plane rejicienda argumenta, ea quoque me persuadent, morbum hunc sobolem verminosi miasmatis esse, quæ PAVLLINI l. c. cap. 9 adducit. Et militat sane pro hac sententiâ, præter effectum medicamentorum huic morbo adpropriatorum, subita illa à frigore externo retrocessio pustularum, vix aliunde, quam ab allegata causa, deducenda. Evanescente enim calore Solis, atmosphæra nostra refrigeratur, quod frigus vermiculis illis intra pustulam turgidam adhuc latitantibus, vel per illam erumpentibus, adversum est, unde ad interiora retrocedentes, postmodum tendines, membranas & periostia arrodendo dolores istos vehementissimos concitant.

§. XIX.

In Luis venereæ candidatis tubercula illa undique per corpus dispersa, i. e. nodi & topi, non solum tabo stillant virulentissimo, sed & insimul vermiculos, limaces minutissimos adumbrantes, excludunt, prout hoc observavit HAVPTMANNVS, referente KIRCHERO *Mund. subtr. Lib. 12. Sect. 1. Cap. 10.* Ego ipse sceleton ex Succia allatum Viennæ conspexi, quod undique fere nodosum atque excrescentiis fungosis decurpatum erat; abrafa autem lamella externa, singuli isti nodi & topi pervii & porosi, instar pumicis calcinati, adparebant. Similiter quoque Halæ Saxonum
 ad

ad foeminam quandam vocatus, inveni eam nodis & topis undique obstitam, & doloribus vehementissimis excruciatam, unde horum aperturam anxie quidem efflagitabat, ob vires autem exhaustas imminensque vitae periculum eam renuebam. Insistebat equidem pertinaciter sententiae suae, & accersito Chirurgo ex abscessibus incisus ingens vermiculorum acervus, qui cimicibus similes erant, prorupit; hoc tamen non obstante ex praesagio meo brevi post vitam cum morte commutabat.

§. XX.

Ratione originis & progressus hi nodi & topi similitudinem quandam habent cum illis morbofis tumoribus, *Gallarum* nomine Botanophilis venientibus, qui in Tiliæ, Betæ, aliarumque arborum foliis luxuriant, vermesque inclusos tenent. Etenim animalcula hæc instar talparum ossa erodendo, tubercula, relictis particulis crassioribus, excitant, quæ dein à calore interno quasi exsiccata, compagem densissimam, i. e. nodos constituunt, ab affluentibus ibidemque similiter stagnantibus, impuris humoribus successive augmentum capientes.

§. XXI.

Sequuntur nunc Bubones, Testiculi venerei, alique tumores sat magni, in glandulis partibusque carnosis à vermibus emergentes, qui dum vasorum texturam immutant, hac ratione efficiunt, ut particulae nutritivæ ad latera deflectant, & qua data porta ruant, unde cutis in montuosos inflatur monticulos & carnei ejusmodi propullulant appendices, ut sunt Ficus, Mariscæ, Cristæ galli, &c. Præter Bubones pestilentiales, qui simile quid arguunt, strumas animata colluvie prægnantes in *Miscellan. Nat. Cur. Dec. II. Ao. 5. App. p. 8.* deprehendimus. Instar omnium consuli potest *WELSCHII Exercit. de Vena Medinensi*, ubi, quid Dracunculi valeant, & quomodo efformatis per carnem cuniculis universum corpus talparum more suffodiant, fusus exponit.

§. XXII.

Circa ulcera tam venerea, ut Gonorrhœam, Fluorem album virulentum, fauces exulceratas, Phimosin, Paraphimosin, fissuras & reliqua, quam etiam alia antiqua & cacœthea, non est ut plura addam, quoniam ex hæcenus adductis sententia mea satis superque constabit. De ulceribus verminantibus & morbo venereo familiaribus complures prostant observaciones, imprimis autem notatu maxime dignum est illud exemplum, quod refert LEEUWENHOEKIUS in *Epist. de d. 17. Octobr. An. 87. ad Societ. Angl.* vermiculos nempe ex sanioso Matronæ cujusdam crure extractos in muscas degenerasse, & metamorphoses reliquas his solennes monstrasse. Vesicam atque partes genitales abundare ejusmodi seminio verminoso, innuit BARTHOLINUS in *Actis Hafn.* qui per urinam multos vermiculos excretos vidit. Vir quidam laboriosus, per aliquot annos Gonorrhœa vexatus, implorabat auxilium meum, qui præscriptis ad hunc morbum medicamentis sat idoneis, una cum urina reddebat vermiculos teretes, unciam unam adæquantes, quibus eliminatis brevi à malo hoc chronico convaluit.

§. XXIII.

Agmen claudant Alopecia, Stomacace & dentium vacillatio. Quid de capillorum defluvio sentiendum sit, paucis meminisse sufficiet, dum nempe aniculis etiam constat, illud à vermium quodam genere produci, adeo, ut eorum quoque figura, dum circa crinium radices delitescunt, dignosci queat. Furfures, qui nonnunquam pruritus pene intolerabilem producant, & sub schemate squamularum in sensus cadunt, sub censuram accuratiorem revocati, similiter accaros monstrabunt: Hi enim succum nutricium subducendo & imas capillorum radices corrodendo, defluvium illorum inducunt, quod tanto minus mirandum est, cum duriora corpora, ut plantas, frutices & arbores, simili facta exposita deprehendamus.

§. XXIV.

His denique succedit Stomacace & dentium vacillatio.
Sicuti

Sicuti autem in exesibus dentium cavitatibus, (qui tanquam ossa durissima ignis vehementiam, teste BARTHOLINO in *Anat.* eludunt,) præter Sinones, à JONSTONO de *Insect. Lib. 3. Art. 3.* ita dictos, atque à Godofr. SCHVLZIO in *Ephem. Germ. Ao. X. obs. 187.* descriptos, alios vidit PECHLINVS *Lib. 2. obs. Med. 36.* à pediculis planioribus, exceptis pedibus, parum abludentes, insuperque mucus dentium, qui in nonnullis putidam exhalat mephitim & transeuntem aërem inspiratum sæpe maxime foetidum reddit, totus verminosus declaratur à LEEUWENHOEKIO *Arcan. Nat. P. 2. p. 43.* Ita nil implicat, quo minus partibus carnosiss, tendinosiss, membranaceiss nerveissque hi vermiculi similiter noxam inferant, dentesque titubare faciant, quemadmodum etiam veritati non plane repugnabit, quod fauces & gingivæ exulceratæ omnemque medelam respuentes exin originem trahant.

§. XXV.

Ratio nunc jubet, ut filum hic abrumpentes nos convertamus ad *Therapiam*, tam universalem, quam particularem. Priorem absolvit salivatio mercurialis, cum regimine sudorifero, ubi supervacaneum erit, hujus duplicis viæ modum & circumstantias prolixius delineare, utpote quæ etiam agyrtis & barbitonforibus jam innoverunt, unde potius ea, quæ scopum nostrum & medicamentorum virtutem & activitatem concernunt, hic adjicere placet. Vulgo ante salivationis usum corpus præparandum esse perhibent, mediantibus nempe purgantibus & decoctis Lignorum, per aliquot dies usurpandis, quibus dein mercurialia ad profligandum hocce malum tutissime subjunguntur.

§. XXVI.

Hæc si curatius perpendamus, sententia ista utique in tantum nititur firmo talo, in quantum ad mitiganda atrocissima symptomata, M. sanguineam depurare & acrimoniam humorum corrigere intendunt. Ast enim vero, si scapham

scapham scapham appellare velimus, activitati & virtuti
 § ii prorsus singulari solummodo in acceptis referendum
 est, quod vasa secretoria & excretoria, e. g. ductus sali-
 vales, ureteres, glandulasque subcutaneas referendo & le-
 niter irritando affluxum salivæ & lymphæ acceleret, eo-
 dem fere modo, uti sub masticatoriorum & ptarmicorum
 usu id videmus.

§. XXVII.

Ut autem nunc exactius indolem specifici hujus anti-
 venerei exponamus, sepositis aliorum judiciis, brevibus
 rem expediemus ita: Scilicet Mercurius, juratus vermium
 hostis, ob suam vim specificam, omnibus aliis anthelmin-
 ticiis palmam dubiam reddit; hinc seminum vermino-
 sum, § ialia reformidans, vel ad peripheriam corporis pro-
 perat, simili ratione, uti accari cæterique lumbrici in inte-
 stinis innidulantes, per usum § ii dulcis excluduntur; vel M.
 Sneæ adhuc impactum enecatur, & postmodum per sali-
 vam, sudorem, urinam aliaque loca excretoria expellitur,
 ad quæ alias decocta, etiam saturatiora, præcipue in malò
 chronico, solitarie non penetrant, unde ut cuneus cuneum
 trudat, necesse est. Hanc ob causam etiam multi Practi-
 ci, grassantibus exanthematibus malignis, ante eruptio-
 nem lene quoddam purgans § iale, experientia multiplici
 probatissimum, felici cum successu exhibere solent.

§. XXVIII.

In Gonorrhœa, Fluore albo virulento, Ficus, Ma-
 risciis, Cruris Galli, Phimosi, Paraphimosi, ulceribus fau-
 cium, Fissuris manuum, pedum & mammarum, interne &
 externe applicata § ialia summam laudem merentur, siqui-
 dem in Gonorrhœa & Fluore albo adhuc recenti ex rei-
 terato purgantis § ialis usu sapissime omnis fluxus interci-
 picur & animatæ sobolis ulterior augmentatio inhibetur:
 Mercurii præcipitati, imò & sublimati providus usus, in fi-
 cubus cæterisque ulceribus venereis multoties exoptatissi-
 mum mihi exhibuit effectum. Pro hoc scopo aniculæ, li-
 cet

cet plerumque in fausto cum eventu, ∇ am fortem, ∇ Regiam, Lap. infern. \oplus l. Cypr. Oust. & quæcunque sub nomine causticorum veniunt, exterius affricare non dubitant. Quodsi tamen quid solatii ab his sperandum foret, illud unice à vi corrosiva dependet, quæ vermiculos, quales in verrucis & clavis pedum denotamus, radicitus extirpat.

§. XXIX.

Nodi & Tophi difficillimam plerumque admittunt medelam; cunctis itaque remediis irrito adhibitis, tandem ad Emplastrum quoddam \S iale, aut suffitum Cinnabaris factitia, cujus basin itidem \S ius constituit, erit confugiendum. Similiter quoque tubones & testiculos venereos tam cum modo dicto Emplastro \S iali Vigonis, quam cum amalgame ex plumbo & \S io parato discutere vulgo intendunt, ut prima vermium stamina auferantur, antequam radices altiores agant, non neglecto simul usu \S ialium interno. Interim tamen diffiteri haud possum, me in Praxi clinica multoties plane contrarium effectum, & bubonum suppurationem magis acceleratam, observasse, id quod tamen priori meæ haud contrariatur sententiæ, quoniam effectus hic unice à majori irritatione miasmatis verminosi dependet, quod, dum exitum & transitum molitur, facile majorem resolutionem & exagitationem humorum stagnantium inducit, quam maturationem & suppurationem dein vocamus. Et hoc eodem fere modo contingit, sicuti cum lumbricis in intestinis evenit, qui ab injectis Clysteribus acribus, vel adsumentis quibuscunque aliis adversis, sapissime adeo irritantur, ut intestina etiam arrodant, & gravissimos convulsivos motus inducant.

§. XXX.

Considerato sic debellatore hujus morbi famosi primario, \S io puta, progredior nunc ad Sudorifera, ubi, nullo habito respectu ad modum, quo sudor provocari solet, tantum sollicitus de horum remediorum proprietatibus & effectibus, quædam adhuc subjungam. Huc autem spectant omnia acria, quæ vulgo antiscorbutica audiunt, ut Herb.

C

Nasturt.

Nasturt. Beccabung. Trifol. fibr. Salviae, Rad. Armorac. Pimpin. Helenii Angel. Imperat. Petasit. Lign. Sassa. Cort. Wint. Tinct. $\frac{3}{4}$ ii acr. $\frac{7}{8}$ i, antivener. Heinsii vel Tinct. Metall. Hæc vulgo ita dicta sanguinem depurantia spiculis suis vel salinis, vel $\frac{3}{4}$ eis aliisque, nervosa fibrarum stamina titillant, insimulque sanguinem jam spiritibus turgidum commovent, qui intestina particularum agitatione magis rarefactus, latera dilatat, & ita conjunctim simul incolas peregrinos ad peripheriam corporis profligat, ubi sub pustulis delitescentes ex inimica medicamentorum qualitate, aut defectu succi nutritii, tandem pereunt. Sic in regionibus meridionalibus saltem in arenam, per radios Solares calefactam, se se abscondunt ejusmodi ægrotantes, & per sudorem inde excitatum multum pariter levaminis obtinent.

§. XXXI.

His subjungenda porro sunt amara & nauseabunda, quæ itidem vermibus quam maxime sunt inimica, testante hoc imprimis ZACUTO *Lustano, Prax. admir. Lib. I. p. 35.* Inter hæc primum locum occupant Rad. Chin. Rhabarb. Hel-lebor. nig. Lign. Guajac. Aloëtica, myrrhata Eff. Strob. Pini, Tanacet. Castor. Asæfœtid. Galban. Therebinth. Ven. Bals. de Peru & Copaiv: Ita in Gonorrhœa & Fluore albo frequentius Eff. Succin. As. fœtid. & Myrrh. (quæ omnia anthelminticis ab Illustri b. m. WEDELIO accensentur,) itemque Therebinthina & ejus præparata, pro scopo mundificandi & dolores mitigandi exhibentur. Quia autem hæc omnia non solum particulis balsamicis abundant, atque sic oleositate sua vias urinarias exulceratas leniunt & ardorem temperant, quale quid $\frac{3}{4}$ Olivar. & Lac una cum cremore suo tepide haustum, præstant, verum etiam saporem & odorem valde nauseosum & vermibus adversum spirant; ideoque omnino profligatis hisce molestis hospicibus vires consolidantes promptissime exferere valent.

§. XXXII.

Dulcibus ordinariè delectari solent vermes, hinc ut eò melius decipiantur, anthelminticis talia adjiciuntur. Prudentis

dentis enim est, astu circumvenire illos, quos vi superare nequit. Experimentum notissimum est, quod communiter variolarum copiosorem eruptionem in facie, per externum lactis tepidi usum infringere soleant fœmellæ, licet id non semper secure fiat. Ita quoque Bubonum aliorumque apostematum maturationem promovent ejusmodi dulcia, Mel, Ficus, Lac, &c. quæ omnia, dum tanquam gratam acceptamque escam degustare solent vermes, eo ipso simul sibi met ipsis exitum accelerant, ad imitationem HELWIGII *Obs. 96.*

§. XXXIII.

Stomacacem tollunt Ungv. Egypt. Mel. rosat. Ω tu Φ li acidulatum Ess. sangv. Drac. Tinct. Gum. Lacc. Spir. Cochlear. & omnia antiscorbutica. Alopecia succurrunt Decoct. aut Lixiv. Lign. Guajac. Sassafr. Herb. Scabios. Absynth. Pulleg. Agar. succ. Tanacet. \odot Φ i p. d. ξ ius dulc. cum saccharo. Hæc omnia agunt partim vi roborante & tonica, partim balsamica, ob amaritiam, qua sola iterum optime verminosum istud seminium extinguere valent.

§. XXXIV.

Hæc sunt, L. B. quæ ex parvis ingenii mei rivulis promanare potuerunt: Sicuti autem non omnia possumus omnes, ita & hanc sententiam non omnium palato arridere posse facile judico. Nihilominus tamen scias, me limam eruditorum quovis modo excusculari.

T A N T U M.

S. D. G.

01 A 6605

ULB Halle


3

003 092 054



V3 17
KD 12





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE
CAVSA
LVIS VENEREÆ
PROXIMA,

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,
SVB PRAESIDIO

DN. D. HERM. PAVLI JVCHII,

SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. H. T. DECANI AC SENIORIS,
ET PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARI, I,
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARI, I,
AVLICI ET ARCHIATRI, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.
COLLEGAE,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI
COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, PRIVILEGIA
ET IMMVNITATES

LEGITIME ADIPISCENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIVGIT
AVTOR ET RESPONDENS

MICHAEL WEBERVS,
PEGAVIA - MISNICVS.

HORIS CONSVTETIS IN AVDITORIO MAJORI
COLLEGII MAJORIS
DIE XXX. JVLII, MDCC XLIII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.

